

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 77. (*Neovidensis* 1806. Nro. 70.)

*Ex Campis Elysiis*  
*Colloquium Politicum*  
*vita functorum.*

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 12, Septemb. 1806 (Neov. 29. Aug)

Templa - - - Furiisque dicabant,  
Verberibus saevo cogunt sub iudice poenae.  
*Virgil.*

Colloquentes Furiae:

*Tisiphone, Megaera, et Alecto*

*Megaera.* O soror Tisiphone! Hic nos  
in turpi stertimus otio, Nulline amplius ope-  
ri vis admovere manum? ergo furiae nullam  
jam inferant orbi calamitatem? Anne aeter-  
nis sepeliantur nomina nostra tenebris?

*Tisiphone.* Inde ab ultima mea in mun-  
do commoratione, qua flavam febrim disse-  
minavi, ignavia marcesco. Sed quid etiam  
ibidem faciam? E vestigio occurrunt mihi  
Medici, et Chymici, meque suis extematibus,  
purgantibus medicinis, et muriatica fumiga-  
tione repellunt. Nunio plus illi jam intre-  
gerunt meas vires.

*Megaera.* Ego quoque bellum, et lethum

intuli in Calabriam, et quidem facile erat inflammare Calabrienses ad furorem. Quam amaenus horror cladum internecinarum! At paulo post rabies furentis plebeculae coerceretur, ita enim Neapoli de 9. hujus significatur; Mareschallus Massena fundit, fugatque ubique Insurgentes. Die 6. pernoctavit Lauriae sequenti die transiturus ad Castrum Villari. Duae turmae venientes Salerno peragrant oras maritimas et spoliant omnes incolas armis, securitatis reducendae causa, qua, nulla habita ratione occultarum hostis machinationum in praesens fruimur. Turba seditiosorum ingressa est cum musica Laurenzanam, volens habitatores concitare, sed exitum res habuit alienum a sententia, factiosi capti tenentur. Superior Praefectus excubiarum de legione in provincia Basilicata degente cum pluribus militibus perpurgavit sylvas ad Ariofo, et Lamam sitas, quae hactenus semper latibula erant sicariorum.

*Alecto.* Dilectae sorores! Moveor vestris querelis. Mihi utique latissimus patet campus in mundo superiore; In Gallia, Anglia, Neapoli, et Dalmatia, Item in Borussia, Svecia, Russia, atque Persia classicum cano. Sed laterem lavo. Gallia, et Anglia tractant de pace, esto multi ejus sint opinionis, illam ad exitum non deducendam. Lordius Lauderdale 24. hujus adhuc Parisiis morabatur, profecto gravis videtur adesse causeturae reconciliationis.

*Megara.* In Svecia invenisti veram martialem constantiam; Quid agitur in Svecia, et Borussia?

*Alecto.* Dilecta soror! Ibi nihil est, cujus animi conciderint, nescio. Certum tamen est de bello amplius non cogitari. Ex Svecica Pomerania de 19. Augusti sequentia scribuntur: Postquam subtribunus Krusemark Gryphisvalda discessit, missus est illico Regius nuncius Sverinum cum mandato, ut certus numerus equitum cum necessaria re tormentaria ad Tribsees congregetur. Huic praeerit Comes Lövenhjelm, et destinatur ad occupandam quampiam occidentalem provinciam.

Heri Comes Lövenhjelm cum turma equitum, et aliquot tormentis Gryphisvalda se itineri accinxit. Speratur intra 9. dies ad limites Lauenburgicos perventurus.

Extranei Ministri, et Generalis Gubernator Gryphisvalda Stralsundam rediverunt.

*Tisiphone.* Igitur omnia composita? Forte fixum est Sveciae suae ditioni adjicere Lauenburgum; Status rerum nimio opere mutatus est. Quid autem sibi volunt bellici apparatus Borussiae?

*Alecto.* Hoc ego ipsa cum ignarissimis ignoro. Quem parat adoriri Borussia? Gravis interrogatio, ad quam difficile est respondere. Publicae, imo etiam officiosae ephemerides affirmant, Galliam inter, ac Borussiam intimam vigere amicitiam. Alii contra narant, novas enatas esse dissensiones. At

bellicus apparatus continuatur, uti Berolino de 21. hujus certiores sumus: Princeps Hohenlohe, qui Berolini expectabatur, Oringase recta contulit ad exercitum, in finibus Saxoniae congregandum. Die 19. Regius Borussiae Promareschallus Röchel Hanoveram appulit, et divertit in palatio Ducis Cantabrigiensis. Praeterea suscepit supremam praefecturam in copias ibidem existentes, et primum hospitium defixit in dicta Civitate. Praesidarii notabiliter augentur; Nienburgum etiam munitur, et prout Hamela, instruitur annona.

*Megaera.* Haec tamen frustra, et sine causa non aguntur.

*Alecto.* Ego nihil futurum puto; nosco ex ungue leonem. Audi plura: Dux Brunsvicensis, et Princeps Hohenloicus expectabantur. Subtribunus Krusemark cum propositionibus Aulae concessit Gryphisvaldam. Notatu dignum est in his rerum adjunctis, in solennitate diei onomasticae Napoleonis, quam Gallicus legatus Berolini celebravit, Ministrum Comitem Haugvitz, Campi Mareschallum Möllendorf, et alias multas illustres tam civilis, quam militaris ordinis personas praesentes adfuisse; qua occasione dictus Campi Mareschallus bibit in salutem Imperatoris Gallorum, Legatus autem gallicus in salutem Regis Borussiae.

*Megaera.* Quantum observo, nos, dilectae sorores! apud superiores privabimur furiosis nostris functionibus,

*Alecto.* Hoc mihi jam dudum suboluit; Attamen occulte torquebimus animos mortaliun. Scitisne charissimae sorores! A celeberrimo Romanorum Oratore Cicerone nostrum interitum jam ante multa saecula praedictum fuisse?

*Tisiphone.* Quid? A Cicerone? Viro florentissimae regionis, in qua nobis templa, et altaria posita sunt?

*Alecto.* Ita est ab illo ipso. Adferam ejus testimonium ex oratione pro Roscio Amerino: Nolite existimare, inquit sceleratos a furiis exagitari, Furiae eos nequaquam insectantur accensis facibus; Stimuli conscientiae, qui ex patratu delictis oriuntur, sunt veri nominis furiae, de quibus tanta scripsere poëtae.

*Megaera.* Quae cum ita sint, dilectae sorores! aggrediamur animos hominum, sic enim moralem obtinebimus finem. Et hoc ad laudem nostram satis.

### B I O G R A P H I A.

*Furiae.* Dicuntur fuisse noctis, et Acherontis filiae, tres vulgo numerantur: Tisiphone, Megaera, et Alecto. Erant Deae poenarum, destinatae ad excrucianos apud inferos sceleratos, hac de causa in loco umbrarum habitare fingebantur, Saepius tamen debebant ex inferis egredi, ut bella, homicidia, et luem excitent. Imago furiarum effigiem foedarum mulierum repraesentat, qua-

rum vultus teter, et cruentus: Crinium loco serpentes gestant, manu altera ardentes faces, fascem angvium altera; Tantus erat earum metus, ut eas vel nominare quisque reformidaret, quapropter tempore sacrificii, quo colebantur, altum servabatur silentium. Festa illis dicata vocabantur Furinalia. Officia Furiarum in terris exercenda in hunc modum erant distributa: Tisiphone attulit pestem, Alecto concitavit bella, et Megaera induxit furorem, et homicidia.

---

Exemplum litterarum Regni Mareschalli Augereau, Praefecti 7. Divisionis magni exercitus.

Ad Consulem, et Magistratum urbis Francofurtensis.

Mei Domini!

Ad lenienda onera, vobis per circumstantias belli imposita, vidistis me quavis data occasione una vobiscum concurrere. Tunc ego de communibus remediis a vobis consultus, cum gaudio dedi operam, ut inveniremus, quod bono publico quam maxime esset accommodum.

Adveniente gallico Generali Comissario, qui jussus erat praeparare traditionem urbis Francofurtensis, ejusque territorii Eminentissimo Principi Primati (uti statutum est in Confederatione 12. Julii) complura vestri Gu-

bernia membra mihi significarunt voluntatem contra novum rerum ordinem edendi proclamationem; disvasi, et videbantur meis argumentis esse convicti.

Quanta admiratione correptus sum, comparans Asciburgum ad contestandam Eminentiſſimo Principi Primati meam observantiam, legensque ephemerides a Praefecto generalis hospitii mihi missas, in quibus me absente vestro nomine divulgata proclamatio continebatur!

Mei Domini! legi eam cum indignatione; injuriosa est regimini gallico, quod vos tempore inductae in Germania mutationis faventissimo modo habuit; haec vobis expendenda erant, haec vestris subjectis inculcanda, at videmini voluisse eosdem ad disensionem inflammare.

Major quidem pars incolarum Francofurtensium de vero emolumento edocta lubens suscepit paratam sibi conditionem; Nulla classis prae altera gaudebit immunitate, omnes iisdem utentur juribus civilibus, et paterna gubernatio omnes pari favore complectetur.

Mei Domini! Nexus, qui inter nos hactenus intercessit, mihi erat jucundissimus, verum ob vestrum his ultimis diebus agendi modum, subsistere amplius nequit.

Quam vobis submitto, exprobratio eo magis me afficit, quo citius illa publici juris fieri debet. Caeterum factum hoc est

tantum aberratio nonnullorum; Mihi etenim manifeste constat, complures e vobis nullam in eo partem habuisse. Quare cum vos non sitis confundendi cum complicibus, exigo a vobis, ut intra 24. horas Authores proclamationis mihi detegantur.

Subscriptus:

Regni Mareschallus, Praefectus 7. Divisionis magni exercitus.

Subscriptus: *Augerean.*

In principe hospitio Francofurti 27. Augusti 1806.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Lúisziánai Pusztákon. Kötve 45 kr. Posta papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Asszonyoknak. 8. 1 fl. 30 kr. Charta scriptoria 2 fl.

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Posonyban 1805. 8-vo 18 kr.

Cétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Historiája, három rézre metszett képekkel Ill. T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Wieland, Téli Rege. 8. Posonyban 1804. 20 kr.